



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SPEI SIGNUM** IMAGO MARIAE SANCTISSIMAE QUAE IN  
ECCLESIA PAROECIALI  
SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI OPPIDI V. D. LAHISZYN COLITUR,  
PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Spei signum inter nova rerum adjuncta appareat  
Immaculata Virgo Maria, «spiritualis Mater quae pro Christi discipulis intercedit et pro cuncta humanitate» (*Ut unum sint*,  
79), quam iure quidem plurimi colunt atque in angustiis fiducialiter invocant. Cum igitur Venerabilis Frater Noster  
Casimirus Cardinalis Świątek, Administrator Apostolicus Pinskensis Latinorum, Litteris die XXIX mensis Aprilis hoc anno  
datis, communia vota cleri et christifidelium excipiens, postulaverit ut Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate  
redimiri posset gratiosa imago Deiparae quae in ecclesia paroeciali Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli oppidi v.d.  
Lahiszyn religiose colitur, Nos huiusmodi piae petitioni libenti animo obsecundare volumus. Ratis ergo plane habitis iis,  
quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica  
Nostra potentate petenti Praesuli concedimus ut supra dictae imagini Nostro nomine et auctoritate sollempni modo  
pretiosam imponat coronam, persuasum habentes porro Marialem cultum in populo istius regionis ad christiana fidei et  
caritatis florem haud parum conferre posse. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud*  
*Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iulii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo*  
*decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana*

---